pugnantibꝫ ꝯ pc̃m p̄beat. cõſequẽter declaraᷣ

Qui eñ prius trāſibat ꝓpter tēptatōes q̄s ī oratione patimur. ſi in oratione perſeuerauerimᷓ: quaſi ſtans nos ad ſe adduci iubet. quādo tranquillitatē mentis redditam. dulcedine ſue contemplationis vel tenuiter manifeſtat. Et quia ī oratione ante oīa eternā gloriā querere debemᷓ recte cecus lumen a dño petiſſe fertur. Et qm̄ quicūqȝ non negligit penitere. de venia non debet deſperare. recte dicit̄ fides tua te ſaluū fecit Quacūqȝ enim hora peccator vere penitēdo ingemuerit. ⁊ cōuerſus fuerit ſaluus erit. Scdm̄ Auguſtinū. ſi hiericho lunam: ⁊ ob hoc mortalitatem interpretat̄. morti ꝓpinquans dominus iudeis ſolis lumen euāgelij iuſſerat p̄dicari. q̄s ſignificauit iſte vnus cecus ante ingreſſum hiericho illuminatus. queȝ lucas cōmemorat. A mortuis autē r̄ſurgens atqȝ aſcendēs: ⁊ iudeis ⁊ gentibꝫ: quos duos populos ſignificare vidētur. duo ceci poſt egreſſum hiericho illuminati. de quibus matheus narrat.

Oratio.

O Benigniſſime ih̄u non perſonas hominum reſpicis. omnes expectas creator omniū miſereris redemptor. omnibus indulges ſaluator. Quis igit̄ niſi ſue ſalutis immemor. tardabit ad te conuerti. ſic benigniſſime expectantem. ſic ad oſtiuȝ pulſantem et per gratiā introire volentem? Da ergo domine deᷓ meus mihi ceco et miſero: vt a te vocatus aperiam tibi cor meū. peccatum inde expellendo. ⁊ te per gratiā recipiendo: vt illuminatᷓ te ſequar nūc in opibꝫ virtuoſis. ⁊ poſt hec de tua viſione ſemꝑ gaudere merear in celis Amen.

De zacheo ⁊ eius cōuiuio. Capitulū. XXIII.

DEinde eadem die dominus ih̄s ipſam vrbeȝ hiericho īgreſſus: ambulabat ꝑ eam: turba non modica ſtipatus. Hiericho ſignificat mūdum quē intrauit in incarnatione. ambulauit ī ſua cōuerſatione: ſed perambulauit ī ſua paſſione. ex qua ꝑambulatione facta eſt ſalus domui eccleſie. Mūdus eſt perambulandus qꝛ per eam eſt citiſſime trāſeundum. ⁊ nullomō ꝑ inordinatū amorē vel affectionē eſt ibi ſiſtendum: vel ei inherendū. Uix eñ eſt aliq̄s qui nō īficiat̄. ſi circa mūdi negocia implicet̄. Zacheus autē qui erat non tm̄ publicanᷓ: ſed et princeps publicanoꝝ. ⁊ primᷓ inter illos q̄ vacabāt publicis actibus ſcȝ exactionibus et vectigalibus q̄ implicant ad peccatū. ac diues qꝛ in acquirendo auarus et temꝑalibꝫ implicatus. ex quo in eius vocatōe apparet maior dei miſericordia: ⁊ diuine pietatis habūdantia. Deſiderabat ex deuotōne videre ih̄m. beati eñ oculi q̄ vidēt ip̄m. ⁊ non poterat pre turba ſequēte eū: qꝛ ſtatura puſillus erat. ⁊ corꝑe ſcdm̄ quātitatē ⁊ mēte ſcdm̄ humilitatē. Ex quo patet deuotio populariū ad xp̄m: qꝛ tāta turba ſequebat̄ eum. Et p̄currens. id eſt pre alijs currēs. aſcendit in arborem ſichomoꝝ: vt videret ih̄m inde trāſeuntē Uñ Beda. Que īpoſſibilia ſunt apud homines poſſibilia ſunt apud deuȝ. Ecce eñ camelus depoſita gibbi ſarcina. ꝑ foramē acus trāſit. hoc ē diues ⁊ publicanᷓ relicto onere diuiciaꝝ: ꝯtem pto cenſu fraudiū. anguſtā portā artāqȝ viā q̄ ad vitā ducit: aſcēdit. Qui mira deuotōne fidei ad videndū ſaluatorē: qd̄ natura minᷓ habebat aſcēſu ſuꝑplet arboris. atqȝ ideo iuſte (q̄uis ipſe rogare nō audeat) benedictōeȝ dñice ſuſceptionis accipit quā deſiderabat Hec Beda. Sichomorᷓ ē arbor ī folijs moro ſilīs. ⁊ ī alijs ficui: ſȝ ſtipete diſtās ⁊ altitudine p̄ſtans. Unō ⁊ a latinis celſa dicit̄. Et īterpretat̄ ficus fatua: qꝛ arbor ē ſterilis: ſicqȝ dicit̄ ſy̅chomorᷓ. i. ſicut morus. Uel ſcribit̄ ſy̅comorᷓ ꝑ ficomoro vicio ſcriptoꝝ. Uñ ſm̄ Joſephū. potius deberet dici ficomorᷓ: qꝛ cōponit̄ ex natura fici quo ad lignū: ⁊ ex natura mori q̄ ad folia. Sicomora q̄ȝ dicunt̄ quedā poma ficis ſilīa. fructᷓ aūt mori liquoreȝ ſanguini ſimilē habet. Uñ dicit̄: q̄ oſtēderūt elephantis ſanguinē vue ⁊ mori: ad acuendū eos ī prelio. ſ. corꝑali. Et ideo morᷓ crucē ſignat: cuiᷓ fructus ip̄e xp̄c dicit̄. ī ea ſuo ſanguine rubricatus: qui ſanguis nobis ꝑ recordatōeȝ oſtēſus. acuit nos ī p̄lio ſp̄uali. Dominica eñ crux credētes alit vt ficus. ab īcredulis irridet̄ vt fatua quia iudeis ē ſcandalū. gentibꝫ v̄o ſtultitia: ſed credētibꝫ virtus dei ē. Hec ḡ arbor in quā puſillus ſtatura zacheus: vt exaltari poſſet aſcēdit arbor fidei et crucis ē: ad quā multi veniētes: ⁊ ī eā aſcēdētes. q̄uis ſtatura ꝑuuli fuiſſent. ⁊ nō dū in ſciēcia ⁊ ꝑfectōe multū creuiſſent. inde tñ ih̄m videre et cognoſcere meruerūt Huiᷓ arboris fructus ſanguineus ē. ꝑ quē martires ſignificant̄: qui tamfirmiter huic arbori inherēt: vt potiᷓ occidi ⁊ ꝓ̄o ſanguine cruentari: q̄ a ſua arbore. id eſt a xp̄i fide ⁊ cruce valeant ſeꝑari. Hanc debemᷓ aſcēdere ꝑ fidē et meditatōeȝ. aliter ih̄m videre nō poſſumᷓ: qꝛ ſtatura puſilli ſumus. nō eñ ſufficiūt noſtra merita ſine merito paſſiōis crucis xp̄i. Hāc puſillᷓ vt exaltari poſſit aſcēdit. dū q̄libet hūilis ⁊ ꝓ̄p̄e īfirmitatis conſciᷓ: terrena relinquēdo: ⁊ p̄uos actus deſerēdo altioraqȝ petēs. ⁊ ī dño ꝯfidēs. ī virtute crucis gloriat̄. clamās cū ap̄lo. mihi aūt abſit gloriari: niſi ī cruce dñi nr̄i ih̄u xp̄i. cui lignū crucis ē gl̄ia. ſalᷓ. vita. ⁊ ꝑ hāc laudabilē fatuitatē dñm cernere meret̄. Nos eñ: inq̄t. ap̄lus p̄dicamus xp̄m crucifixū. iudeis q̄dē ſcādalū: gētibꝫ auteȝ ſtulticiā. Ecce ſy̅comoꝝ aſcēde ⁊ tu lignū vbi ꝑ te pepēdit ih̄s: ⁊ videbis ih̄m. Uñ Augᷓ. Apprehēdit zacheᷓ ſy̅comoꝝ. aſcēdat humil̄ crucē parū ē aſcēdat. Ne de cruce erubeſcat: ī frōte illaȝ figat: vbi ſedes pudoris ē. Ibi oīno ibi in q̄ mēbro erubeſcit̄. ibi figat̄. vbi nō erubeſcat̄. putaſ qꝛ irrides ſy̅comoꝝ. Et ip̄e efficit vidē ih̄m. hec Augᷓ. Quicūqȝ etiā hūiliat̄ ꝓ̄p̄t ih̄m hic īfatuat̄ iuxta mūdū. q̄ ſolus tñ ſapiēs ē: qꝛ qd̄ ſtultū ē hoībꝫ: ſapiētia ē dei. ⁊ hic dominū videre meretur. Unde Gregorius. Si veraciter ſapientes eſſe: atqȝ ipſam ſapientiam contemplari

appetimus. ſtultos nos humiliter agnoſcamus Relinquam⁹ noxiã ſapientiam. diſcamus laudabilem fatuitatem. Hinc euangelice hiſtorie verba teſtantur: quia zacheus cum videre pre turba nil poſſet. ſycomori arborem aſcendit: vt tranſeuntem dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fatua dicitur. Puſillus itaqꝫ Zacheus ſycomorũ ſubijt ⁊ dominũ vidit: quia qui mũdi ſtultitiam humiliter eligunt. ipſi dei ſapientiam ſublimiter contemplantꝰ. Puſillanimitatem namqꝫ noſtram ad videnduꝫ deum turba ꝑpedit: quia infirmitatem humane mentis. ne luci veritatis ĩtendat. curarũ ſeculariũ tumultus premit. Sed prudenter ſycomorum aſcendimus. ſi prouide eam que diuinitus ꝑcipitꝰ ſtultitiam tenemus. Quid enim in hoc mũdo ſtultius q̃ amiſſa non querere. poſſeſſa rapientibꝫ relaxare. nullam ꝓ acceptis iniurijs iniuriam reddere. imo et adiunctis alijs pacientiam prebere. Quaſi enim ſycomorũ nos aſcendere dñs ꝑcipit cum dicit. Qui aufert que tua ſunt ne repetas: ⁊ rurſum. ſiquis te percuſſerit in dexteram maxillam prebe ei et alteram. Per ſycomorum domin⁹ tranſiens cernitur: quia ꝑ hanc ſapientẽ ſtultitiam. ⁊ ſi nec dum ſolide vt eſt iam. tamen ꝑ contemplatõis lumen dei ſapientia: q̃ſi in tranſitu videtꝰ Qui ṽo in elata ad cõſpiciendũ deum adhuc cogitationũ ſuarum turba deprehenſi ſunt. ſycomori arborem non ĩuenerunt. Hec Gregori⁹. Ubi et theophilus. Sed facile hoc eſt ad moralem vtilitatem retorquere. Quiſquis enĩ pluribꝫ in malicia ꝑeſt. paru⁹ eſt ſtatura ſpirituali. ⁊ nõ poteſt videre ihm ꝑ turba. Nam ꝑplexus a paſſionibꝫ et ſecularibꝫ rebus. non aſpicit ihm ambulantẽ id eſt in nobis opantẽ nullũ opus eius cognoſcens. Aſcendit autẽ ſuꝑ ſycomoꝝ id eſt ſuꝑ voluptatis dulcedinem. q̃ ſignificatꝰ ꝑ ficum: deprimẽs eaꝫ: ⁊ ſic ſublimior factus videt et videtꝰ a xp̃o Hec theophilus. Per ſycomoꝝ etiã poteſt intelligi religio: quia latini ſycomorum celſam nominant. eſt enim procerior et altior moro. ⁊ habꝫ fruct⁹ ſubdulces. qui nũq̃ ad maturitatem ꝑueniunt. Sic ſtatus religionis eſt altior et procerior: qꝛ in cõtemplatõne conſiſtit: ⁊ ſtatum mũdi trãſcẽdit. Habet etiam fructus ſubdulces. fructus. ſ. abſtinen ciarum. vigiliarum. ieiuniorũ. ⁊ hui⁹ modi. qui licet de ſe ſint duri et aſpi. tamẽ ſunt ſubdulces: quia ſuſtinentur amore dulcedinis ꝑadyſi: ⁊ nũq̃ in maturitatem perueniũt: quia fructus maturi ſunt dulciores. ⁊ vera religio d̃ mũdana dulcedine non curat. Sed ſycomorus ficus fatua dicitur: qꝛ ad litteram ingrediens religionẽ fatuus reputatur. vnde poteſt dicere illud amos. Armẽtarius ego ſum vellicans ſycomoros. Iſtã arborẽ zacheus puſillus humilꝰ. ſcꝫ religioſus aſcendit: vt videat ihm. ſ. vt lucretur vitã eternã. que ĩ viſione dei cõſiſtit: ſed qꝛ paru⁹ alte nõ poteſt aſcendere ſine ſcala: vl' gradibꝫ. ideo ſunt tres grad⁹ in ſcala religiõis. vn⁹ eſt abrenũciatio ꝓprie voluntatis. ꝑ votuꝫ obediencie. ſecund⁹ eſt abrenũciatio ꝓprietatis exterioris. ꝑ votum pauꝑtatis. tertius eſt ꝓmiſſio perpetue caſtitatis. per votum continentie. Et iſtos tres gradus. tres alij gradus ex ꝑte ipſius aſcendentis precedunt. primus eſt contemptus terrenorũ. ſecund⁹ obliuio generis. terti⁹ odiuꝫ mundi. Et iſta tria fuerũt dicta abrahe a domino. Egredere de terra. ecce gradum primum: et de cognatione tua. ecce gradũ ſecundũ. ⁊ de domo patris tui. ecce gradum tertiũ. ⁊ veni ĩ terram quã monſtrauero tibi. id eſt ĩ religionem Hij ſunt tres grad⁹ quibꝫ aſcendebatur ad thronum ſalomonis. Iſte thronus eſt religio in qua dominus reſidet tanq̃ in throno ⁊ cathedra ſpeciali. Unde et petrus Rauennas vocat religionem ꝑadyſum. que propria manſio dei ẽ dicens Iuxta ſententiã cordis mei. ſi paradiſus in hac vita preſenti eſt. aut in clauſtro. aut in ſcolis ẽ quicquid enim extra hec duo eſt. plenum eſt anxietate. inquietudine. amaritudine. formidine ſolicitudine. ⁊ dolore. Et cum ihs veniſſet ad locum vbi erat ſycomorus. ſuſpiciens vidit zacheum. nõ tm̃ viſu corporis: ſed et reſpectu pietatis. approbans illius deuotionem et deſideriuꝫ Bonum fuit ei videre xp̃m: ſed melius videri a xp̃o. Ubi beda. Uidit ihs videntem ſe: quia elegit eligentem ſe. ⁊ amauit amantem. Hunc ſane ordinem ꝓficiendi. hoc eſt ſuper fidem dominice incarnationis ad cognitionem diuinitatis ꝑueniendi: quaſi ſycomorum ihu faciem ſpeculandi. doctor egregius oſtendit cum ait. Nõ enĩ iudicaui me ſcire aliquid ĩter vos. niſi xp̃m ihm ⁊ hunc crucifixum Hec Beda. Cognoſcẽs ergo ⁊ acceptans ihs deſiderium zachei. eum vt deſcẽderet vocauit: dicens. Zachee feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. In domo quidem materiali propter refectionẽ xp̃i et diſcipulorum ſuorum. et ad oſtendendum benignitatem peccatori reuertenti. et in domo cõſcientie ſpirituali. per gratie infuſionem neceſſariam peccatori. Illud etiam dicit xp̃c cuilibet noſtrum. Uult enim manere in domo cõſcienciarum noſtrarum. et ideo debet preparari ad eum recipiendum. Unde de iſta dicit pſalmiſta. Domũ tuam decet ſanctitudo domine. Gloria enim noſtra hec eſt. teſtimonium conſciẽcie noſtre. Bene debet domum ſuam ſpiritualem emũdare et ornare. qui vult tantum hoſpitem recipere. ſcꝫ regem glorie: quem nec celum: nec terra poteſt capere: vt ibi maneat id eſt ꝑ gratiam inhabitet et nõ tranſeat Ubi beda. Qꝛ aũt deſcendere de ſycomoro zacheus et ſic in domo ſua xp̃o manſionem ꝑparare iubetꝰ. hoc eſt qđ aplus ait: quia ⁊ ſi cognouim⁹ ſcđm carnẽ xp̃m ſꝫ iam nũc non nouimus. ſi enĩ mortu⁹ eſt ex infirmitate: ſꝫ viuit ex ṽtute dei Hec beda. Uerba ꝑdicta dñi ihu moraliter exponi poſſunt de fideli anima: que domus dei dicitur. quia in ea xp̃c per gratiam manere dignatur. ⁊ hoc hodie id eſt in vita preſenti ꝑ gratie prelibationem: ac etiã hodie. id eſt ĩ eternitate ꝑ glorie beatã frui-

tionem.Licet aūt xp̄c in qualibet fideli anima
habitet per fidem. ſpecialiter tñ ad hoc eligit
mētes eleuatas et abſtractas. Debet autē ani-
ma talis eſſe abſtracta tripliciter.ſ. a deſiderio
rerū temꝑaliū.a voluptate delectationū carna
lium:vel cōmodi corꝑalis: ⁊ a ſeipſa ꝑ abdica-
tionem ꝓprie volūtatis.Per hec enī tria abſtra
hitur anima ab omni impeditiuo ſalutis.ↄtra
illa tria de quibus dicitꝛ:omne qḋ eſt in mūdo.
aut eſt cōcupiſcentia oculorū.aut cōcupiſcen-
tia carnis.aut ſupbia vite.Hanc triplicem ab-
ſtractionē docuit ſaluator: dicēs. Qui vult ve-
nire poſt me abneget ſe q̄tū ad tertiū: ⁊ tollat
crucē ſuam:q̄tū ad ſcḋm. ⁊ ſequatꝛ me videlicet
relictis omnibꝫ:q̄tuȝ ad primū. Et hec triplex
abſtractio de zacheo cui hec verba dicta ſunt.ſ.
in domo tua oportet me manere.poteſt itelligi
Quis enī principiū euāgelij ip̄m diuitem appel
lauit.in proceſſu tñ eum verum pauperem xp̄i
factum eſſe cōmemorat.Nam ī eo ꝙ dixit.Ecce
dimidiū bonoꝝ meorū do pauperibꝫ et cetera.
innuit abſtractionē primā.ſ. a rebus temꝑali-
bus. In eo aūt ꝙ zacheus aſcendit in arborē
ſycomoꝝ.ſignificatꝛ abſtractio a cōmodo tem-
pali:vel delectatione carnali.ſycomorus enim
eſt ficus fatua: ⁊ ſignat carnalis delectationis
dulcedinē:quꝛ fatua eſt.quā aſcendēs per hanc
abſtractionem. ſub pedibus deprimit ⁊ calcat.
In hoc aūt ꝙ ipſe ad vnam dñi vocē feſtinans
deſcendit.et excepit illū gaudēs.innuitꝛ abſtra-
ctio ꝓprie voluntatis.Et hec tria ſe inuicem ꝑfi
ciunt.ita ꝙ alterū ſine alijs ꝑfectū non eſt. Si
enī quis ſit abſtractꝰ a ſolicitudine temꝑalium
⁊ ſit deditus voluptati carnis:nihil valet: ⁊ ſic
intellige de alijs ſuo modo. Et feſtinās deſcēdit
⁊ excepit illū gaudens et exultans de tāti hoſpi
tis aduentu. Jam enim qꝛ dñm in cor ſuum ſu
ſceperat zacheus.ī domo eiꝰ dignatus eſt ſuſci-
pi dominus. In q̄ facto dominus innuit.ꝙ vo-
tis minoꝝ ānuit.⁊ affectus pios ꝓſequitꝛ ⁊ ꝑfi-
cit.Vide hic benignitatē dñi.plus enī dedit za-
cheo q̄ ille deſideraſſet: qꝛ dedit ei ſeip̄m qḋ ille
petere auſus non fuiſſet. Vide etiam virtutem
orationis:qꝛ deſideriū magna vox: ⁊ magna ora-
tio eſt.Et ideo dicit ꝓpheta.Deſideriū pauperū
exaudiuit dominus. Et alubi dñs ad moyſen.
Quid clamas ad me:cum ille ore taceret: ⁊ tñ
corde loqueretꝛ.Vñ Augꝰ.Tota vita boni xp̄i-
ani ſanctū deſideriū eſt.Quod aūt deſideras nō-
dū vides:ſed deſiderādo capax efficieris:vt cum
venerit qḋ videas ipłearis.Hec eſt vita noſtra
vt deſiderādo exerceamur. Tantū autē nos ex-
ercet ſanctū deſideriū:quātū deſideria nr̄a am-
putauerimꝰ ab amore ſeculi Hec Aug. Et vi-
dētes phariſei ⁊ alij malignātes iudei: ꝙ itraue
rat domum publicani:murmurabāt dicētes.qꝛ
ad hoīeȝ pc̄torē diuertiſſet. Iſti peccabāt dupli
citer.ſ.falſe iudicādo de zacheo:qꝛ iā pc̄tor non
erat:ſed vere penitēs.Et ſil'r ↄ xp̄o:qꝛ nō mirū
erat ſi diuertebat ad euȝ:quē iuſtificauerat:qꝛ
cor penitētis ē xp̄i diuerſoriū vbi paſcha mādu

cat. Irratōnabilitꝛ etiā murmurabāt: qꝛ nullꝰ
poteſt ratōnabilitꝛ murmurare. ſi medicus di-
gnatꝛ egrotū viſitare.Stās aūt zacheꝰ ad obe-
diendū dño ꝓmptus.nō titubās ꝓpꝛ alioꝝ mur
murat̄oēȝ ⁊ detract̄oēȝ.ſicut multi q̄ ad modicū
verbū alioꝝ bonū deſerunt iam inchoatū:dixit
ad dñm. Ecce dimidiū bonoꝝ meoꝝ do pauꝑi-
bus.⁊ ſi qd̄ aliquē defraudaui reddo q̄druplū.ſ.
de dimidio reſiduo qḋ adhuc retineo.Lex enī ī
aliquibꝫ p̄cepit reſtituere duplū. ī aliq̄bꝫ q̄dru-
plū.ī aliquibꝫ quītuplū. ⁊ ideo ꝑ hoc ꝙ hic rſti
tutio media exp̄mitꝛ.alie due extreme ītelligūtꝛ
Ex hoc aūt ꝙ dimidiū bonoꝝ ſuoꝝ dedit pauꝑi
bus.patet ꝙ nō oīa bona ſua erāt male acq̄ſita
qꝛ de illis nō poſſet fieri elemoſina. Sicut autē
zacheus dixit do pauꝑibꝫ: ⁊ reddo q̄druplū: ſic
debēt facere volētes dare elemoſinā.vel redde-
re mala acquiſita:dicētes.do vel reddo.nō dabo
vel reddā:ſeu ī teſtamēto meo ponā. Vbi beda
Et hec ē ſapiēs illa ſtulticia quā de ſycomoro
publicanꝰ q̄ſi fructū vite legerat:rapta videlicȝ
reddere. ꝓpria relinquere. viſibilia cōtemnere ꝑ
īuiſibilibꝫ.etiā mori deſiderare. ſeip̄m abnega-
re.⁊ eius q̄ necdū videbatꝛ dnī veſtigia ſequi cō
cupiſcē.Hec beda.Cōſpice igitꝛ dñm ⁊ diſciplos
cū illis pc̄toribꝫ comedētes. ac familiaritꝛ ⁊ do-
meſtice cōuerſantes:vt eos ad ſe attraherēt.et
de pc̄toribꝫ iuſtos facerēt. Et qꝛ iudei murmu
rabāt ꝙ ad hominē pc̄torē diuertiſſet: ⁊ cuȝ eo
maneret:vt ip̄oꝝ eſtimat̄oēȝ ⁊ murmur redar-
guat et cōpeſcat:quē ītus curauerat.etiā a cul
pa ſanatum ānūciat:dicēs. Quia hodie ſalus
huic domui facta eſt:et omni egritudine. omni
morbo.omni vicioꝝ cōtagiōe fugata ſanata eſt
⁊ tota īterius et exteriꝰ ſanctificata: qꝛ ꝑ dñi ī
greſſuȝ facta ē zacheo ſalus. ⁊ q̄ fuerat pc̄tor ꝑ
dñi redēpt̄oēȝ eſt iuſticatꝰ. ⁊ ſalutē cōſecutꝰ: qꝛ
ſuſcepto medico ſaluꝰ factus eſt ab auaricia et
omni morbo. Vbi theophi. Ip̄m zacheū ſignat
aſſecutū fuiſſe ſalutē.ꝑ domū habitatorē dſignātꝛ
ſequitꝛ enī eo ꝙ ⁊ ip̄e ſit filiꝰ abrahe.non enī vo-
caſſet abrahe filiū inanimatā fabricā Hec theo
phi.Vel eo ꝙ et ip̄e q̄ huiꝰ domus habitator eſt:
iam nō publicanꝰ ſit:ſed filiꝰ abrahe factus.ſcȝ
nō natus id eſt nō ſm carnē:ſed ſm fidē. nō ge-
nere:ſed fide ⁊ operū imitat̄oe. Abrahe namq̄
filij ſunt quicūq̄ abrahā imitātꝛ:et oꝑa abrahe
faciūt. Zacheus quippe ſicut ⁊ abrahā in fide
creuit: ⁊ abrahā quidē angelos. Zacheꝰ do an-
geloꝝ dñm hoſpitio ſuſcepit. Vñ Beda. Filius
abrahe dicitꝛ zacheꝰ. nō qꝛ de eius ſtirpe gene-
ratus:ſed qꝛ eius ē fidē imitatꝰ:vt ſicut abrahā
terrā.cognat̄oēȝ domūq̄ patriā ob ſpem future
hereditatis dño iubēte deſeruit. ita ⁊ ille quod
theſaurū ī celis acq̄reret: bōa ſua pauꝑibꝫ pci-
endo relinq̄t.Et pulchre dicit ⁊ ip̄e: vt nō ſoluȝ
eos q̄ iuſti ꝑſeuerāt:ſȝ ⁊ eos q̄ ab īiuſticia reſi-
piſcūt:ad filios ꝓmiſſiōis ꝑtinē declararet Hec
beda.Et reddit cāȝ:q̄re ad domū publicani di-
uertit: qꝛ hoc fecit:vt medicꝰ egrotū curaret:et
vt deꝰ pc̄torē iuſtificaret: ⁊ vt paſtor ouē ꝑditā

reportaret. ⁊ vt ſaluator qd̄ per culpam ꝑierat
ſaluaret. Quia ad hoc dei filius venit de celo in
mūdum ꝑ carnis aſſumptōez factus homo. ⁊ fi
lius hoīs id eſt virginis: vt quereret ꝑ doctri-
nam. ⁊ ſaluū faceret ꝑ gratiā qd̄ ꝑierat ꝑ culpā
ſcꝫ ouem centeſimā. dragmā decimā. filiū iuni-
orē. Perierat eñ in homine inocentia nature.
ſimilitudo gratie. adoptio glorie. ꝓpter primum
cōparatur oui perdite. ꝓpter ſecundūꝫ dragme
ꝑdite. ꝓpter tertiū filio prodigo. Tria autē pre-
dicta venit ihs reparare. Unde ait ⁊ alibi. Nō
veni vocare iuſtos: ſed peccatores ad peniten-
tiā. Ubi Criſoſtomus. Quaſi diceret. Quid me
criminamini ſi rectifico peccatores: tam eñ ꝓ-
cul eſt a me odiū peccatorū. ꝙ eorū cauſa adue-
nerim. Nam medicus veni nō iudex. ob hoc con
uiua fio languētium. patiorqꝫ fetorē: vt pſtem
remediū. Ubi et beda. Pius ſane magiſter qui
murmurātibus turbis ſua miſteria nō dedigna
tur exponere. a deo ſcꝫ peccatoꝝ penitentiā nō
eſſe reſpuendā. vt ipſe dei filius. ob hanc marie
querēdā ſit deſtinatꝰ ad terras: qui vt pietates
ſue nobis diſpenſatōez inculcet. ſepiſſime ſe fi-
lium hominis appellat. cōmendans ſolicite no
bis qd̄ factus eſt benigne ꝓ nobis. vt autē dicit
idem Beda. Miſtice zacheus (qui interpretatur
iuſtificatus) credentē ex gentibꝰ populū ſignifi
cat. qui per occupatōez tꝑalium depreſſus erat
⁊ minimꝰ. ſed a dño ſanctificatus: q̄ intrātē hie
rico ſaluatorē videre voluit. dum ſibi quā mū-
do attulit ꝑticipare queſiuit Hec beda. Per di
uitem etiā iſtū ſcꝫ zacheuꝫ. qui querebat videre
ihm: ſed impediebat̄ ꝑ turbā ⁊ ſtature ſue pui-
tatem. itelligi poteſt quilibet diues: qui de ſalu
te ſua ſolicitat̄. ſed ꝑ turbatōez fantaſmatū cir
ca negocia tꝑalia. ⁊ ꝑ ꝓpriā impfectōꝫ impedit̄
ꝓpter qd̄ aſcēdere debet ī arborēꝫ id eſt ad xp̄m
ꝑ oratōnēꝫ: que ſm̄ Damaſcenū eſt aſcēſus mē
tis in deū. ⁊ ſic ihm videre meret̄. ⁊ ptē bonorū
ſuoꝝ pauꝑibꝰ dare. ⁊ ſi quē defraudauit fidelit̄
reſtituere. Per phariſeos autē murmurantes
intelligi poſſunt maledici: bonoꝝ opera depra-
uātes. ⁊ que bene fiūt in malū īterpretātes. Sꝫ
de his non eſt curādum. nec ideo a bono opere
ceſſandū imo potius ⁊ fortius ei inſiſtendū. Et
quia erāt ꝓpe hieruſalē: que eſt caput regni: et
exiſtimabāt aliqui phariſeoꝝ ⁊ etiā diſcipuloꝝ
ꝙ ſtatim cū eſſet in hieruſalē: manifeſtaret̄ re-
gnū eius ſuꝑ iudeos. a multis eñ credebat̄ fu-
turus rex iſrahel. ſcd̄m ꝙ dixerūt magi. vbi eſt
qui natus eſt rex iudeoꝝ. ⁊ ipi apl̄i querebant
ab eo. domine ſi in tꝑe hoc reſtitues regnū iſra-
hel? ad hunc ergo errorē remouēdum. inducit
ꝑabolam d̄ homine nobili: qui abijt in regionē
longinquā. ⁊ dedit decem ſeruis ſuis decē mnaſ
ad negociandū. Que qꝛ ī ſententia cōcordat cū
alia ꝑabola que infra de talentis dicit̄. ideo hec
ibidem ſimul cum illa cōiungitur. Oratio.

Domine ihu xp̄e qui zacheum ī ſycomo-
rum aſcendētē miſericorditer r̄ſpexiſti
ac eū ad te vocās ⁊ ī domū ipius diuer
tēs ab oī vicio ſanaſti. cōcede mihi puſillo ⁊ mi
ſero: vt ī arborē penitētie valeam aſcēdere: vbi
me oculis miſericordie digneris aſpicere: et ad
tuā gratiā vocare. donās mihi vt domū cōſcie-
cie mee ad te recipiendū digne ꝑparare: et ꝑ te
totus īterius et exterius perfecte ſaner. Et qui
veniſti de celis querere ⁊ ſaluare quod ꝑierat ī
terris. tu me qui ꝑ culpam perieram requiras
bone paſtor. ⁊ ſaluū facias pie ſaluator Amē.

De duobus cecis poſt egreſſum hierico illu-
minatis. Capitulum. XXIIII.

Poſt hec egrediente ihu
cum diſcipulis ab hierico. turba
multa deſiderantiū audire doctrinā
eiꝰ ſecuta ē eū. pauci eñ n̄ audebāt
ꝓpt̄ latrones ingredi deſertum. Qꝛ turba pluri
ma ſequebatur ihm ſue ſedule ⁊ ſtudioſe doctri
ne eſt indicium. Unde Criſoſtomus. Teſtimo-
nium ſtudioſi agricole eſt meſſis fecunda. aſſi-
dui autem doctoris documentum eccleſia plena
Neminem labor itineris impediuit: quia amor
ſpiritualis fatigationem non ſentit. Neminem
poſſeſſionum ſuarum ſolicitudo retraxit: quia
ingrediebantur in poſſeſſionem regni celeſtis.
Uere enim non habet ſuper terram quod amet
qui bonum celeſte ī veritate guſtauerit. Sicut
enim qui precioſum manducauerit cibuꝫ. poſt
modum ei hec eſca cōmunis ingrata videt̄: ſic
et qui ſemel dulcedinem xp̄i bene guſtauerit.
terrenorum bonorum decetero non multū ſen-
tit ſaporem. Nimirū hec eſt illa roſa in campiſ
hierico. de qua ſapientia loquitur per ſalomo-
nem. Sicut palma exaltata ſum in cades. ſicut
plantatio roſe in hierico. Ergo hec eſt illa ſpe-
cioſiſſima roſa. ſanctitate iuſticie candida et
paſſionis ſanguine rubicunda. Sicut enim ro
ſa anteꝙ̄ videatur: ſentitur. et anteꝙ̄ inueniat̄
tenetur in odoribus ſuis: ſic ⁊ domino tranſeū-
te de longe. duo ceci anteꝙ̄ viderent: diuinita-
tem eius fraglancia ſenſerunt Hec Criſoſtomꝰ
Unde ſequitur. Et ecce duo ceci ſedentes ſecus
viam: vt elemoſinam peterent a tranſeuntibꝰ.
non remote a via ſalutis. audierunt a tranſeun
tibꝰ: qꝛ ihs nazarenus oī flore virtutū vernans
trāſiret. O felix auditio: rumor leuis. Multi eñ
reges ⁊ ꝓphe voluerūt audire. ⁊ n̄ audierūt. Et
miſericordiā cū clamore petebāt: dicētes. Dñe
miſerere nr̄i fili dauid. tua cōpaſſiōe nr̄aꝫ miſe
riā r̄mouēdo. Uocāt eū filiū dauid: qꝛ credebāt
eū eē xp̄m ꝑ ꝓphetas ꝓmiſſū: ⁊ notū erat apud
oīs iudeos. ꝙ xp̄c d̄ ſemīe dauid erat naſciturꝰ
Cū magna deſiderij itētōe clamauert̄: ⁊ magno
deſiderio illūinari poſtulauerūt. ꝯfeſſi dauid fi-
liū ꝑ carnē. deū etiā ī eo eē nouerūt ꝑ īſpiratōꝫ
Ubi Cris̄. Oportune aūt oblati ſūt añ faciē xp̄i
duo ceci: vt aptis ocl̄is q̄ſi teſtes ꝟtutis eiꝰ. aſcē
derēt cū eo ī hieruſalē. Hij currētiū ſtrepitū au
diebāt: ⁊ ꝑſonas n̄ videbāt. nihil ſolū hn̄tes de
toto corꝑe p̄t̄ vocē. ⁊ id̄ qꝛ pedibꝰ eū ſeq̄ nō pote
rāt voce ſeq̄bāt̄ hec cris̄. de vno iſtoꝝ tm̄. ſ. fāo
ſiozi marcꝰ mētōꝫ facieſ. d̄ alio tacuit minꝰ noto

Ubi Aug⁹.Hoc autẽ factũ ⁊ marcus cõmemo-
rat:ſed de vno ceco factuȝ. Nam duoꝝ cecoꝝ q̃s
matheus īterpoſuit.vnũ fuiſſe ī illa ciuitate fa
moſiſſimũ:ex hoc ſatis apparet.ꝙ ⁊ nomen eius
⁊ patris ei⁹ marcus cõmemorauit.Barthime⁹.
eñ thimei fili⁹ ex aliq̃ magna felicitate deiect⁹
notiſſime ⁊ famoſiſſime miſerie fuit:ꝙ non ſolũ
cecus:verũetiã mēdicus ſedebat. Hinc eſt ergo
ꝙ ipm̄ ſolũ voluit cõmemorare marcus:cui⁹ il
luminatio tam clarã famã huic miraculo cõpa
rauit.quã erat illius nota calamitas.Uñ ⁊ Be
da.Et bene marc⁹ q̃ gētibꝫ ſcribebat euãgeliuȝ
vnũ dicit illuminatũ: vt eoꝝ q̃s inſtituebat ad
fidē ſaluatõni figura cõgrueret. matheus do q̃
hebꝛeis ſuũ ſcribebat euãgeliũ:qd̄ in gentiuȝ q̃ȝ
noticiã erat ꝑuenturũ: recte duos dicit illumi
natos:vt vtrũq̄ȝ populũ vnã eandēq̄ȝ fidei grãȝ
ꝑtinere doceret. qui etiã in ſequēti lectõe d̄ azi-
no:ī quo dñs ſedere dignat⁹ ē:eandē euãgelicaȝ
ſeruare ſcripturam curauit Hec beda. Barthi
meus q̃ filius pinguedinis īterpꝛetaꝫ ſignificat
hominē ī delicijs carnalibꝫ nutritũ.ideo dicitur
cecus.ſ.ſapiētie lumine ꝓuatus:de q̃ dicitꝫ ī iob
ꝙ non īuenitꝫ in terra ſuauiter viuētiũ: q꞉ deli-
cie carnales hebetãt ītellectũ. Et talis cũ audit
de ſaluatoꝛe debet clamare ꝑ oꝛatõnē deuotam:
vt ab eo recipiat ſapiēcie lumē: qui dat oĩbus
affluenter.ſaltē de neceſſarijs ad ſalutē. Tur
ba autē doctrinã xp̄i auſcultãs. vidēs ſoꝛdidas
veſtes.nõ ꝯſciēcie claritatē.increpat eos vt ta-
cerent:q꞉ ꝑ clamoꝛē ſuum turbam ab audiēdo
xp̄i doctrinã impediebãt. Et hij ſignificant eos
qui a bono oꝑe retrahũt alios.Habem⁹ autem
triplicē turbam impedientē.vnã a carne.aliaȝ
a mũdo.tertiã ab inferno: q꞉ carnalia deſideria
⁊ ꝑſecutões.ſ.mũdi et dẏaboli. nobis obſtãt vt
taceamus a cõfeſſione pcc̄i.ab edificatõe ꝓxima
a laude dei. Infelix hec turba omni bono obſi-
ſtit. Turba deſiderioꝝ carnis increpat allicien
do.turba tẏrãnoꝛũ mũdi īcrepat ꝑſequēdo. tur
ba demonũ inferni īcrepat decipiēdo.Sed quo-
modo tacebũt in oratõne ceci per ignorantiam
mentis.pꝛecipue de ꝓꝓo ſtatu mēdici ꝑ defectuȝ
virtutis.⁊ extra viã.ſ.ſalutis.At illi magis cla
mando inſiſtebant. donec ſtrepitum turbe vin-
cerent: timētes ne ex increpatõne alioꝝ impe-
diretꝫ audicio: ⁊ exaudicio petitõnis ac vocum
eoꝝ.⁊ miſericoꝛdiã petebãt:dicentes. Dñe mi-
ſerere noſtri fili dauid. In hoc et nos exhoꝛta-
mur ad oratõnis cõtinuationē:⁊ in ea ꝑſeuerã
tiam Ubi Criſ. Irritabanꝫ vetiti magis ꝙ̃ con
cupiſcebãt.Talis eſt natura fidei: quãtomagis
vetaꝫ: tãtomagis accenditꝫ: ꝓpter qd̄ ſerui dei ī
ꝑſecutõnibꝫ non vincunꝫ. virtus enim fidei in-
ꝑiculis ſecura eſt:⁊ in ſecuritate ꝑiclitaꝫ.Quid
enim aliud ſic vigoꝛem fidei in omnibꝫ laxat.ꝙ̃
longa trãquillitas.Et iterum. Primo enim cla
mabant q꞉ ceci erãt.ſcd̄o magis clamabant:q꞉
ad lumen accedere vetebanꝫ. xp̄c autē ꝑmitte-
bat eos vetari : vt plus eoꝝ deſiderium appare-
ret.Hinc autē diſce: quia ſi abiecti fuerim⁹ cuȝ
ſtudio accedētes ad deũ.ꝑ noſipſos aſſequamur
qd̄ petimus Hec Criſ.Unde Aug⁹.Bonos eñ
xp̄ianos volentes facere ꝓ̄cepta dei.xp̄iani ma-
li ⁊ tepidi ꝓhibent.clament tñ illi non deficiant
Cum enim quiſq̄ȝ xp̄ian⁹ cepit bene viuē.mun-
dumq̄ȝ contemnere. in ipſa ſui nouitate patitꝫ
repꝛehenſoꝛes.frigidos xp̄ianos:ſed ſi ꝑſeuerau-
rit.ipſi iam obſequũtꝫ:qui ante ꝓhibebant Hec
Aug⁹. Et quia pulſanti apꝛietur.ſtetit ih̄s ex
pectans eos: q꞉ illi ſequi non poterãt(quo eñ
ꝑgerent non videbãt)et vocauit eos ne turbe ꝓ
hiberent:ſi non vocati venirēt. Et interrogauit
eos quid vellent.non tamē hoc ignoꝛans:ſed vt
ex reſponſione ⁊ confeſſione cecoꝛuȝ.manifeſta
debilitas et virtus remedio cognoſceretꝫ : q꞉ ad
miraculoꝝ oꝑationē vult hr̄e ſanãdoꝝ ꝯfeſſio-
nem:vt ex hoc magis appareat euidentia mira-
culi ad alioꝝ vtilitatē. Et cum illi dicerēt. dñe
vt apꝛiantur oculi noſtri: miſert⁹ eoꝝ ih̄s. fons
vere lucis tetigit oculos eoꝛum. ⁊ confeſtim id
eſt ſubito viderũt.ex quo patet:ꝙ talis illumĩa-
tio fuit miraculoſa non naturalis:q꞉ natura nõ
oꝑatur ī inſtanti Ubi Criſ.Tetigit autē vt ho-
mo carnaliter.ſanauit vt deus.Et iterũ.Medin
dixerũt fili dauid:ſuſpenſa eſt ſanitas: moꝝ vt
dixerũt dñe. ſanitas eſt infuſa: q꞉ ſaluare non
poterat filius dauid:ſed fili⁹ dei Hec Criſ. Spi
ritualiter ſcd̄m gloſam.oculos tangit cũ radijs
ſue lucis cõſcientiã illuſtrat. ⁊ cõfeſtim videm⁹
ad deũ cõtemplandũ.ad nos cognoſcenduȝ.ad
ꝓximum iuuandũ.Notandũ autē ꝙ triplex eſt
mod⁹ illuminatõnis.illuminati enim leguntur
aliqui verbo.ſicut cecus de quo dictũ eſt ſupꝛa:
aliqui tactu:vt iſti de quibꝫ fit hic mentio.aliq̃
vnguēto. ſicut vbi lutũ fecit ex ſputo. Uerbũ ē
ꝓ̄dicatio.tactus ē īterioꝛ inſpiratio. vnctio ſacꝫ
mētoꝝ inſtitutio. Sic ergo illumĩat ꝑ eloquia
ſacre doctrine.ꝑ cariſmata grē. ꝑ ſacramenta
eccleſie.Et ſecuti ſunt eum. nõ tam pedibus ꝙ̃
virtutibꝫ ac fide ⁊ moꝛibꝫ: q꞉ illi qui a xp̄o illu-
minati ſunt coꝛpoꝛalitꝫ. ab ipſo etiã illuminati
ſunt mentalitꝫ.Quoſcũq̄ȝ enim xp̄c ſanauit coꝛ-
poꝛe.ſanauit ⁊ mente:q꞉ totũ hominē ſimul fe-
cit ſaluũ.Uñ Criſ.Bonũ mun⁹ obtulerũt xp̄o
ſanati:q꞉ ſecuti ſunt eum.Hoc eñ deus a te re-
quirit ſm̄ ꝓꝓhaȝ. ſolicitũ ambulare cũ deo tuo.
Et iterũ ꝑmiſit eos ſeq̃:vt recēs miraculũ oſtē
deret eũ nõ ex īfirmitate moꝛi Hec Criſ. In hoc
aũt ꝙ ſecuti ſũt eũ.pꝫ eoꝝ ꝑ̃titudo: q꞉ nõ reſili
erũt poſt bñficia donata eis a dño. qd̄ tñ multi
faciũt:q̃ poſt bñficia īgrati exiſtētes.ad vomi-
tũ reuertũtꝫ:⁊ ad malũ redeũt.Ubi Criſ.Sed
nõ illi fuerũt tl̄es:ſꝫ ⁊ añ donatõeȝ fuerunt ꝑſe-
uerabiles.⁊ p⁹ datõeȝ grati. Hos ⁊ nos ȝelemur
⁊ ſi tardauerit donatõȝ de⁹.⁊ ſi mlt̄i ſũt qui ab-
ducũt ne deſiſtam⁹ petētes.ſic eñ maxie deũ at-
trahem⁹. Uide itaq̄ȝ ⁊ hic q̃liē vehemētē eoꝝ cõ
cupiſcētiã nõ īopia.nõ cecitas.nõ audiri.nõ a
turbꝫ īcrepari.nõ aliq̃d aliō ꝓhibuit. Tale qd̄ ē
aĩa feruēs ⁊ laboꝛãs Hec criſ.Tu ꝑ̃ exiſtēs extꝫ
viã ⁊ cec⁹ clama ad ih̄m: vt te illũinare dignetꝫ

ad ipſum videndū: ac fide ⁊ imitatōne ſequēdū3
q2 hoc ꝑcipue eſt nobis neceſſariū. Ubi Aug⁹.
Tota igiꝰ fratres oꝑa nr̄a ī hac vita eſt ſanare
oculū cordis vnde videaꝰ deus. Ad hoc ſacro-
ſancta miſteria celebranꝰ. ad hoc ſermo dei pre
dicaꝰ. Ad hoc exhortatōnes morales id eſt ꝑti
nētes ad corrigendos mores. ad emēdādas car
nales cōcupiſcentias. ad renūciandū non voce
tm̄: ſed mutata vita huic ſeculo. Ad hoc agunt
quicq̄d agūt diuine ſacreq3 littere. vt purgetur
illud interi⁹ ab ea re: q̄ nos impedit ab aſpectu
dei Hec Aug⁹. Ubi ⁊ Origenes. Et nos ḡ ſeden-
tes iuxta ſcripturaꝝ viā. ⁊ intelligētes ī q̄bꝰ ce
ci ſum⁹. ſi ab effectu pecierimus tanget oculos
animaꝝ noſtraꝝ. ⁊ recedet a ſenſibꝰ nr̄is tene-
bra ignorātie: vt eū videam⁹: ⁊ ſequamur. q̄ de-
dit nobis poſſe videre. propter nihil aliō niſi vt
eū ſequamur Hec Origenes. Per duos cecos
iſtos ſignificanꝰ duo populi. ſ. gentiles q̄ erant
excecati ꝑ ydolatriā: ⁊ iudei ꝑ doctrinā ꝑuerſā
mādatū dei trāſgredientes propꝰ traditōnes ho
minū. Qui ſedebāt ſecus viā: q2 videbanꝰ hr̄e
legis noticiā: ſed viā q̄ eſt xp̄c ignorabāt. quorū
alter naturalē: alter ſcripture legem habebat.
Qui audierūt de trāſitu ihu: poſtq̄ exijt de hie-
rico id eſt ō hoc ſeculo. Sed ihu eoꝝ ocl'os mē
tales tangente. illuminati ſunt. multi ō iudeis
⁊ ō gentibꝰ. plures eū ꝑ fidē ⁊ oꝑa ſancta ſequē
tes. Et prius quidē vnū. poſtea duos cecos illu
minat: q2 vnū prius ꝓl'm: deinde duos vocat.
Un̄ Beda. Qō aūt appropinquās hierico vnu3
illuminauit: ac ꝓficiſcēs de hierico duos: hoc i
timauit q2 ante paſſionē ſuā vni tm̄ populo iu
deoꝝ ꝑdicauit. poſt reſurrectionē vō atq3 aſcē-
ſionē ſuā ꝑ apl'os. ⁊ iudeis ⁊ gentibꝰ diuinitatis
ſue: ⁊ hūanitatis archana patefecit Hec Beda
Plura ad expoſitionē ⁊ meditatōnem ꝑtinētia
ſuꝑ de vno ceco poſita. ꝑn̄t hic applicari: ⁊ econ
uerſo plura hic poſita ibi aptari. Oratio.

Ux lucis ⁊ fons luminis dn̄e ihu: q̄ duo
rū cecoꝝ ad te clamātiū affectu miſeri
cordie miſertus. oculos eoꝝ tangere: ⁊
ſic eos illuminare dignatus es. tange q̄ſo ocu-
los meos ſpirituales. ⁊ radijs tue lucis ꝯſcien-
tiā meā illuſtra. ad te cōtemplandū. ad me co-
gnoſcendū. ad ꝓximū inſtruendū: ⁊ iuuādum.
Illuſtra cor meū lumīe tue gratie diuine: vt te
ductorē in omnibꝰ vijs meis habeā. te imitādo
ſequar: ⁊ te q̄ es ſuꝑ oīa pre omnibꝰ timeā ⁊ di-
ligā: tuamq3 in omnibꝰ faciā3 voluntatē Amē.

De effuſione vnguenti ſuꝑ caput ihu.
Capitulum. XXV.

Appropinquante tempo
re in q̄ dn̄s pati diſpoſuit. appropin
quauit ipe loco in quo eiuſdē paſſi-
onis diſpenſatōe3 facere voluit. Ut
ꝑ hoc intimaret q2 volūtarie ⁊ ſua ſponte pate-
reꝰ ⁊ mortē ſubiret. Igiꝰ ante ſex dies ſolēnis
paſche. i. ſexta die an̄ paſcha. ſ. ſabbato ante ra
mos palmaꝝ venit bethaniā. Intelligas h̄ diē
paſche nō quartādecimā ꝑmi mēſis. in q̄ ad ve-
ſperā imolabaꝰ agn⁹ paſchalis: ſed quītādeci-
mā. ſ. illā in q̄ paſſus ē xp̄c. q̄ tota erat feſtiua et
ſolēnis. Un̄ Theophil⁹. Decima aūt die menſis
agnū iudei capiūt īmolandū in feſto paſche. ex
tūc em̄ feſtiuitatis ꝑlibāt ſolēnia. Qua ꝓpter i
die q̄ ē nona mēſis. ⁊ ꝑcedit ſextū diē an̄ paſcha
epulanꝰ ſplēdide: ⁊ exordiū feſti hanc diē cōſti
tuūt. Quo fit vt ihs q̄ꝫ ꝑgens bethaniā cōuiua
reꝰ. Hec Theophil⁹. Ideo aūt venit bethaniā
vt lazari reſuſcitatō īnouareꝰ. ac memorie oīm
artius īprimereꝰ: ⁊ vt iexcuſabiles iudei ō mor
te tanti ſuſcitatoris tractātes cōfunderenꝰ. ⁊ ex
memoria miraculi ibidē facti. turba ꝓl'i moue-
reꝰ ad eū honorifice recipiendū ī hieruſalē an̄
ſuā paſſionē. ſicut fuerat ꝑdictu3 ꝑ zachariam
ꝓphetā: dicentē. Exulta ſatis filia ſyon. iubila
filia hieruſalē. ecce rex tuus venit tibi ⁊ cetera.

Sciēs ḡ dn̄s iudeos cōſpiraſſe ī mortē. appro-
pinquāte paſcha in q̄ agn⁹ paſchalis īmolabaꝰ
reuertēdo venit q̄ſi agn⁹ ad victimā: vt ſic agn⁹
verus īmediate poſt īmolatōe3 agni paſchalis
īmolareꝰ ꝓ nobis: vt veritas figure ſuccederet
⁊ verū paſcha haberem⁹. Et erat ī domo ſymo
nis ꝑus leproſi. tūc aūt mūdati: q2 fuerat lepro
ſus: ⁊ a dn̄o ſanat⁹. ſ3 tm̄ adhuc priſtinū nomē
ad memoriā miraculi retinebat: vt virtus curā
tis appareret: ſicut adhuc diciꝰ mathe⁹ publica
nus. licet eſſe publican⁹ deſierit. Hinc colligere
poſſumus. q2 licet a pc̄to nr̄o mūdati fuerimus
ſemꝑ tm̄ ipm ī memoria ad penitendū hr̄e debe
mus. Hunc ſymonē leproſū tradūt fuiſſe beatu3
Julianū. ſic poſtea vocatū: ⁊ factū cenomānen-
ſem epiſcopum: cui iter agentes dicunt. pater
noſter: vt bonū habeāt hoſpitiū. Fecerūt aūt
cenā ibi domino: ⁊ martha miſtrabat: ⁊ lazar⁹
īuitatus a ſymone vnus diſcūbentiu3 erat. pie
credendū ē q2 cena honeſta ⁊ abſq3 luxu fuerit.
quā fecerūt ei q̄ ꝑdicator ⁊ amator ꝑſimonie ex
titit. Martha miſtrabat ibi: q2 ſcdm̄ q̄ſdā dom⁹
marthe erat poſſeſſione: ſed ſymonis hitatōne.
al's ibi nō miniſtraſſet. vel pt̄ dici q2 iſte ſymon
erat marthe vicinus. ⁊ propꝰ hoc ipa miſtrabat
ī domo ei⁹ (ſicut hoīes ſolēt facē ī domibꝰ ami-
coꝝ ſuoꝝ) ⁊ maxīe propꝰ reuerētiā ipſius xp̄i.
comedētis ibidē. lazarus vō erat vnus ex diſcū-
bentibꝰ cū eo īuitatus a ſymone. ⁊ hoc factū eſt
ad declaratō3 veri miraculi ō ei⁹ rſuſcitatōe: vt
ex hoc q2 poſt ſuſcitatōe3 cibū ſumeret. nō fan-
taſtica ſua ſuſcitatō eſſe ꝓbareꝰ. Un̄ Aug⁹. Ne
putarēt hoīes fantaſma eē factū: q2 mortu⁹ re-
ſurrexit. lazarus vnus erat ex recūbentibꝰ. vi-
uebat. loquebaꝰ. epulabaꝰ. veritas oſtēdebaꝰ.
īfidelitas iudeoꝝ ꝯfūdebaꝰ. Et ſm̄ eūdē. Lazar⁹
dū diſcūbit ī cōuiuio. cōuiuis īterogātibꝰ eū tri
ſticia loca penaꝝq3 ſedes alta nocte obſcuras ī
dicauit diligēti narratō3 ꝑ ordinē: ⁊ ita īferi lō
gis tpibꝰ igrati tādē īueneꝰ ꝓditorē. Qr aꝰ an̄
ſex dies venit hoc miſterio ꝯuēit. ꝑmo q̄dē q̄tū
ad numeꝝ. numer⁹ ei ſenari⁹ ꝑfect⁹ ē. vn̄ ⁊ deus
oꝑa creatōis ꝑfecit ſex diebꝰ ⁊ ꝓpꝰ hoc decuit q2
ſex diebꝰ q̄dāmō ꝯpleretꝰ op⁹ paſſiōis. q̄ oīa ſūt

reſtaurata. Scḋo q̄tū ad figurā: qꝛ decima die
menſis primi tollebat̄ agnꝰ ⁊ ſeruabat̄ vſqꝫ ad
quartādecimā. Vn̄ ⁊ dn̄s ſexta die an̄ q̄ndecimā
hieruſalē̄ intrare voluit. q̄ſi ad locū īmolatōis
accedēs. Qꝛ venit bethaniā q̄ īterpretat̄ domꝰ
obedīētie. etiā cōgruit miſterio. ꝑmo q̄tum ad
cauſam paſſiōis: qꝛ ſm̄ aplm̄ factꝰ ē obediens
pr̄i vſqꝫ ad mortē̄. Scḋo ad fructum paſſionis
quē ꝯſequūt̄ illi ſoli q̄ obediūt ei: qꝛ ſcḋm eūdē̄
aplm̄ factꝰ eſt oībus obtēꝑantibꝫ ſibi cauſa ſa-
lutis eterne. Vnde hiero. Paſſurꝰ dn̄s ꝓ omni
mūdo: ⁊ vniuerſas natōes ſuo ſanguine redem-
pturꝰ venit: ⁊ morat̄ in bethania ī domo obedi
entie. hȳnnulꝰ ceruoꝝ ſemꝑ ad lectū ſuū redit.
⁊ filius obediens pr̄i vſqꝫ ad mortē̄ obedientiā
a nobis petit Hec hiero. Qꝛ venit vbi fuerat la
zarus mortuꝰ quē ſuſcitauit. ſignificat qꝛ in do
mo obedīētie illi q̄ ſunt ſpūaliter mortui ī pec-
catis reſuſcitant̄. reducti ad vitā iuſticie: quia
ſm̄ aplm̄ ꝑ vniꝰ hominis obedientiā iuſti cōſti
tuūt̄ multi. Qꝛ fecerūt ibi cenā dn̄o cōuenit
etiā miſterio: qꝛ dn̄s in domo obedīētie ſpūalit̄
reficit̄. delectatꝰ in obedīētia noſtra: ⁊ martha
miſtrabat ⁊ ſatagebat circa frequēs miſteriū:
ꝑ quā ſignificant̄ p̄lati: q̄ ī eccl'ijs ad miſteriū
inſtituūt̄. ſm̄ illḋ apl'i. ſic nos exiſtimet homo
vt miſtros xp̄i: ⁊ lazarus reſuſcitatꝰ erat vnus
ex diſcūbentibꝫ. ꝑ quē ſignificant̄ ſubditi miſte
rio p̄latoꝝ a pc̄tis ad ſtatū iuſticie reducti qui
cū alijs iterū ſpūal'r cum dn̄o merent̄ epulari.
Maria vō vnxit caput et pedes ih̄u: et extersit
capillis. ꝑ quā ſignificant̄ contemplatiui. de ea
enī̄ dicit̄ alibi. ꝙ ſedēs ſecus pedes dn̄i audiue-
rat verbū illius. Vn̄ Alchuinꝰ. Miſtice ꝙ ante
sex dies venit bethaniā. ſignificat: ꝙ ille qui ſex
diebꝫ oīa fecerat. ⁊ ſexta die hoīeꝫ creauit. ipſa
ſexta mūdi etate. ſexta feria. ſexta hora redime-
re mūdū venerat. Cena autē̄ dn̄ica fides ē eccl'ie
q̄ ꝑ dilectōꝫ opat̄. Martha miſtrat cū fidel' aīa
oꝑa ſue deuotōis dn̄o īpendit. Lazarus vnꝰ eſt
ex diſcūbentibꝫ. cū hijs q̄ poſt pc̄toꝝ mortē̄ ſuſci-
tati ſunt ad iuſticiā. vna cū eis q̄ in ſua ꝑmāſe
rūt iuſticia. de p̄ntia veritatis exultāt. ⁊ celeſtiſ
gr̄e munere alunt̄. Et bn̄ ī bethania celebrat̄ q̄
īterpretat̄ domꝰ obedīētie. nā eccl'ia ē obedien
tie domꝰ Hec Alchuinꝰ. Maria ḡ acceſſit ad
ih̄m tanq̄ ad fontē̄ miſericordie lauātē̄ īfirmi-
tates n̄ras. ⁊ fregit. i. apuit alabaſtrū cōtētiuū
vngēti nardipiſtici precioſi. id eſt vaſculū ala-
baſtrinū. ſ. ꝑ̄ fcē de alabaſtro: qḋ eſt genꝰ mar
moris cādidi: ⁊ varijs coloribꝫ īterſtincti. ī quo
bn̄ ⁊ īcorrupte ſeruāt̄ vnguēta. plenā vnguēto
p̄cioſo. ⁊ effudit vnguētū ſuꝑ caput ih̄u recūbē
tis. i. ad mēſam ſedētis. ſicut effundit̄ aq̄ roſea
cea ꝓpter refrigeriū et odorē̄. ⁊ etiā vnxit ide pe
des eius. apud q̄s etiā al's tantā grā̄ꝫ īuenerat
⁊ capillis ſuis extersit. Ordine alio factū fuit q̄
hic ſcriptū ſit: qꝛ ꝑmo lauit pedes et extersit: et
poſtea vnxit. Et domꝰ īpleta ē ex odore vnguēti
effuſi: qꝛ enī̄ de re aromatica erat. longe lateqꝫ
poterat odor eiꝰ diffundi. Nō ē veriſile ꝙ eſſꝫ ali

qḋ groſſe: ſicut vnguēta coīter dicta: qꝛ īdecēs
eſſet tale qḋ ponere ſuꝑ caput hoīs ſedētis ī mē
ſa. Et ideo dicendū. ꝙ hic vocat̄ vnguētū liquor
p̄cioſus de re aromatica exp̄ſſus. ſicut aq̄ roſea
cea exp̄mit̄ de roſis. Alit̄ dicit̄ ꝙ fuit lacrima
fluens naturalit̄ de arbore aromatica: q̄ ē mul
tū p̄cioſa: ⁊ valet ad multa medicinalia. Dicūt
etiā aliq̄ nardꝰ eſt herba nigra. faciēs ſpicas in
cacumīe: ⁊ ꝓpter hoc dicit̄ nardiſpicati: quia d
illis ſpicis extrahit̄ liquor p̄dictꝰ ꝑ artificiū. vl'
ſcḋm alios fluit ꝑ naturā. Alij dicūt ꝙ ē frutex
vel arbor ꝑuula: ⁊ inde fluit vl' extrahit̄ liquor
mō p̄dicto. Piſtici ſm̄ q̄ſdā nomē ē loci: vbi cre
ſcit arbor. vn̄ talis liquor exprimit̄. ſed melius
dicit̄ piſtici. i. fidel'. piſtis enī̄ grece fides ē lati-
ne. hoc eſt dictu: ꝙ iſte liquor erat purꝰ ⁊ verꝰ
nō habēs aliq̄d aliḋ admixtū nec ſophiſticatꝰ.
Precioſi: qꝛ valebat trecētos denarios id ē nū-
mos vſuales. erat enī̄ ille liquor refrigeratiuꝰ:
⁊ cōfortatiuus mēbroꝝ: ⁊ cōſolidatiuꝰ. ⁊ valde
odoriferꝰ: valens ad alleuiatōeꝫ laboris. ⁊ ꝯtra
eſtum ſolis. et diſtēperiē̄ aeris. ⁊ ad multa medi
cinalia. Ex q̄ patet p̄cioſitas vnguēti. ⁊ deuotō
ac pietas Marie: q̄ labori xp̄i cōpaciens. ⁊ pe-
des et caput eiꝰ vnxit. ⁊ rem tā p̄cioſam in obſe
quiū eiꝰ expendit. In q̄ et nos docemur. ꝙ ea q̄
p̄cioſiſſima ſunt apud nos deo offerre debemꝰ
Et qḋ talia vice peccatrix adhuc exiſtēs fecit in
eadē̄ domo ex cōtritōne. ſ. qn̄ cōuerſa eſt. ⁊ pec-
cata multa ei dimiſſa ſunt. eo ꝙ multū dilexit.
nunc iuſtificata et familiaris dn̄o effecta facit
ex deuotōne: ſed tūc tm̄ pedes vnxit. ⁊ gradatim
a pedibꝫ ad verticē̄ ꝑueniēs. nūc et caput et pe-
des vngere meruit. Tunc vnxit dn̄m vnguēto
penitē̄tie. nūc vnguēto deuotōis. Ibi rudimēta
penitentiū. Hic iuſticia ꝑfectarū deſignat̄ ani-
marū. Diligebat enī̄ ih̄m ſuꝑ omnia: ⁊ de obſe-
quēdo eidē̄ nō poterat ſaciari. Fraglancia fidei
caput dn̄i ⁊ pedes: q̄ſi odore aromatum ꝑfudit.
qui diuinitatē̄ et humanitatē̄ eiꝰ digna laude at
tollit. nūc de pedibꝫ ad caput aſcendēs. nunc ad
pedes a capite ꝑ fidē̄ deſcendēs. ſm̄ aplm̄. caput
xp̄i ē deꝰ. Itaqꝫ caput xp̄i vngit: q̄ ad honorē̄ dei
oīa oꝑa ſua facit. ſm̄ illud apl'i. oīa in gl'iā dei
facite. Qui vō veſtigia xp̄i ſequit̄: pedes eiꝰ vn-
git. Itē̄ caput xp̄i vngit q̄ ip̄m xp̄m veneratur
pedes vō qui eius fidelibꝫ obſequit̄. Vbi Augꝰ.
Quecūqꝫ aīa fidel' vis eſſe: cū maria vnge pedeſ
dn̄i p̄cioſo vnguēto. Vnguētū illud iuſticia fuit
idō libera fuit. Vnge pedes dn̄i viuēdo. dn̄ica ſe-
ctare veſtigia. Capill' terge. ſi habes ſuꝑflua da
pauꝑibꝫ: ⁊ pedes dn̄i terſiſti. Capilli ei ſuꝑflua
corꝑis videt̄. Domꝰ at̄ īpleta ē odore. mūdꝰ īple
tꝰ ē bona fama. Nā odor bonꝰ bōa fama ē. Qui
male viuūt ⁊ xp̄iani vocāt̄ īiuriā xp̄o faciunt.
De q̄bꝫ dictū ē. ꝙ ꝑ eos nomē̄ dei blaſphemat̄.
Si ꝑ tl'es nomē̄ dei blaſphemat̄. ꝑ bonos nom̄
dei laudat̄. Audi aplm̄. Xp̄i bonꝰ odor ſumꝰ in
q̄t ī oī loco. Dicit̄ ⁊ ī cāticis cāticoꝝ. Vnguētū
effuſū nomē̄ tuū Hec augꝰ. Vbi ⁊ beda. Miſtice
at̄ hec deuotō marie dn̄o miniſtrātis. fidem ac

pietatē deſignat eccleſie ſancte. q̄ loquit̄ ī amo-
ris cātico: dicēs. Dū eſſet rex ī accubitu ſuo:
nardus mea dedit odorē ſuū. Que nimirū vba:
et ſemel iuxta litterā manibꝫ marie cōpleuit: et
quottidie ī oībꝫ ſuis mēbris ſpiritaliter īplere
nō deſinit. que toto diffuſa orbe gloriat̄ ⁊ dicūt
Deo aūt grās q̄ ſp triūphat p nos ī xp̄o ihu: et
odorē noticie ſue manifeſtat p nos ī omni loco
q: xp̄i bonus odor ſumus deo. Qui cū potētiam
diuine virtutis eius q̄ illi vna cū patre ē digna
reuerētia cōfitet̄. Laudat et p̄dicat caput pro-
iecto illi⁹ vnguēto pfudit p̄cioſo. Cū vo aſſūpte
miſteria humanitatis eque digna reuerētia ſu-
ſcipit. ī pedes vtiq; dn̄i vnguētū nardipiſticum
id eſt fidele ac vex pfudit: q̄ illā ei⁹ naturā: qua
terrā cōtingere hoc ē inter homīes conuerſari
dignat⁹ eſt pia p̄dicatōne cōmendat ac deuotis
venerat̄ obſequijs. Domus autē impleta eſt ex
odore vngēti: qd̄ ſignificat odorem ſanctitatis
xp̄i impleſſe eccl'iaȝ ad quē odorē oīs feſtināt
Ubi ⁊ Origē. Qui elemoſinas ⁊ alia huiuſmo-
di q̄ ad vtilitatē hoīm fiūt: facit ī xp̄ianos. pe-
des dn̄i vngit. qui aūt caſtitati ſtudet: ⁊ in ieiu-
nijs ⁊ oratōnibꝫ pmanet: ⁊ ceteris q̄ tm̄ ad glo-
riā dei pficiūt. vngit caput xp̄i. aut doctrina q̄
neceſſaria ē hoībꝫ. hoc eſt vnguētū q̄ pedes dn̄i
vngunt̄. agnitio aūt fidei q̄ ad ſolū ptinet deū. ē
vnguētū quo vngit̄ caput xp̄i. Capillis aūt pe-
des extergit. q̄ ea que fluūt a mēte tanq̄ capilli
a capite in obſequiū dei retorquet. vñ in canti-
cis. Uulneraſti cor meū ſoror mea ſpōſa in vno
oculox tuox: ⁊ ī vno crine colli tui. hoc ē cari-
tate affeciſti me. ꝑpter ſimplicitatē oclox tuox
me ɔtēplātiū. ⁊ ꝑpter ſimplicitatē tuax cogita
tionū q̄ ī me cōtinue dirigūt̄. Hoc em̄ mō deuo-
tōis exegit̄ a pedibꝫ xp̄i. q̄cq̄d ī eis ē laſſitudis
⁊ tarditatis: qb⁹ ad nos aliq̄n tardat venire.
Et notandū q̄ hac die. ſ. ſabbato. maria lauit
pedes dn̄i vnguēto ī memoriā h⁹ rei eodē ſabba
to dn̄s papa cōſueuit vacare ⁊ ītendere paupi-
bus: dando elemoſinas: ⁊ pedes pauperū lauā
do: q: in cena dn̄i ꝑpter officij magnitudinē ad
hoc ñ vacat ītendere: ⁊ mādatū celebrare. pau-
pes em̄ ſūt pedes dn̄i ſedētis ī celo: adhuc deam
bulātes ī terra. Cui⁹ rei occupatōe eadē die ſta
tionē ad miſſam celebrandā nō facit: ſicut cete
ris diebꝫ q̄drageſime facere cōſueuit. ⁊ ideo va-
cat hoc ſabbatū a ꝑpo miſſe officio. Indignabat̄
autē ⁊ murmurabat de hoc facto marie. iudas
ſchariothis: dicens. Ut qd̄ pditio hec vnguenti
facta eſt: putabat em̄ vnguētū pditū. ꝑpter hoc
qd̄ nō habebat apud ſe p̄ciū. in q̄ verbo nō ſolū
īcrepabat mulierē q̄re hoc faciebat: ſed ⁊ xp̄m
qui hoc fieri pmittebat. Ecce qd̄ ī obſequiū xp̄i
ponebat̄ pditū reputabat̄. Simile aliq̄ faciūt
q̄ oīe qd̄ ex deuotōne deo ī oratōne vel medita-
tōne īpendit̄. pditum eſſe dicūt: q: nos vtilitati
pximox ītēdere nō cernūt. Silr ſi aliq̄s religi-
onē ītrat. talē multi fatuū reputāt: ſi aūt actibꝫ
ſecularibꝫ ſe implicet. talē prudentē eſſe dicunt.
Uñ cōmunit̄ dicit̄ de pſona cū debilis eſt ⁊ īfir-
ma. q̄ nihil valet niſi ad dandū p deo. Res etiā
ſepe p deo nō dant̄: donec deteriorare videt̄. Uñ
dicit̄. Panē tempeſtas vinū tonitrua veſtē. Ti
nea paupibꝫ dat poſtea muſca ſcutellā. Pote-
rat em̄ vnguētū iſtud venūdari pluſq̄ trecētis
denarijs. In hoc inſinuat̄ occaſio vēditōnis xp̄i
ab ip̄o iuda p triginta denarijs venditi. Nam
ſm quoſq̄ā. Cōſuetudo xp̄i erat. q̄ decimā ptem
eox: q̄ ſibi dabant̄ paupibꝫ erogabat: vel cū iu
das pcurator dn̄i eſſet. credebat ſm ɔſuetudinē
ſuā accipe ſibi decimā datorū dn̄o. ⁊ ideo voluit
vendi iſtud vnguētū: vt haberet triginta dena-
rios. q̄ ſunt decima ps trecentox. ꝑpter qd̄ iude
viſum ē. q̄ ī vnguēto ſup xp̄m effuſo triginta de
narios pderet. vnde ab illa hora cogitauit vt
xp̄m triginta denarijs venderet: ⁊ ſic predā ſuā
recupаret. Uel ſm alios. ibi triginta argētei p
quibꝫ dominū vendidit. valebāt trecētos dena-
rios vſuales. ⁊ ſic recupauit totū p̄ciū vnguēti
Et dari paupibꝫ. Ecce ſb p̄textu pietatis. zelat
affcm̄ ñ pietatis cupiditatis. Hoc ei dixit ſilās
pietatē ad opiēdā ſuā cupiditatē. Per hūc deſi
gnent̄ detractores bonox operū ſub ſpecie pie-
tatis denigrātes. Quidā etiā alij diſcipuli indi-
gne ferebāt: ⁊ q̄ſi de pdito vnguēto murmura-
bāt. Iſti q̄dē moti pietate ꝑpter paupes īdigna-
bant̄. nō ītendētes eſſe pditū ſimplicit̄: ſȝ in cō
patōne ad ſubleuationē pauperū. audierāt em̄
a dn̄o: miſericordiā volo ⁊ nō ſacrificiū. ⁊ ideo
forte credebāt q̄ dare paupibꝫ eſſet magis bo-
nū. Iudas vo mot⁹ cupiditate ꝑpter lucra ſua:
q̄uis etiā ſub p̄textu id eſt velamēto ſeu ſpecie
pietatis īdignabat̄. Dicebat em̄ hoc. non q: de
egenis ptineret ad eū. id eſt nō q: cōpateretur
paupibus: vl' curaret de eis: ſed quia dolebat q̄
vnguētū nō fuerat ſibi traditū: vt ei⁹ p̄ciū furā-
do ſibi retineret. Uñ Theophilus. Diſcipuli plu
res mulierē arguerūt. eo q̄ ſepe xp̄m audierāt
de elemoſina dicentē. Iudas vo nō eadē ītētōne
indigne tulit: ſed ꝑpter amoreȝ pecunie ⁊ turpe
lucrū. Uñ ⁊ Iohānes. ip̄m ſolū cōmemorat taq̄
fraudulēta ītentōe mulierē arguentē: cuius ex
hac occaſione furādi cōſuetudinē credidit inti-
mandā. Hec Theophi. Licet em̄ portabat ea q̄
dabant̄ p xp̄o ad dandū paupibꝫ. nō tm̄ hoc fa
ciebat: ſȝ ſibi retinebat. vñ muſitatio ei⁹ cū cri-
mine ponit̄. q̄ nō curā paupm habuerit: ſȝ ſuo
furto puidere voluit: q: fur erat ⁊ loculos. i. bur
ſas dn̄i hn̄s: ⁊ cuſtos eox exiſtēs ea q̄ mittebāt̄
